verò Mundo, & mundanis hominibus. S. Bern. Sen. tom. 1. l. 14. Artic. 1.

Numquam ſine fluctibus eſt mare; nec avarus ſine ira, & mærore. S. Nilus in orat. de avaritia.

Felix, & beata, foret vita mortalium; ſi cupiditas non eſſet. S. Fulgent. ſect. de Abſalon.

Plus concupiſcentia Mundi, quàm ſubſtantia, nocet. S. Bern. ſer. de Verb. Petri.

Quidquid ex prava cupiditate naſcitur, ſerpens eſt. S. Greg. Nyſſ. l. de vita Moyſ.

Qui cupiditates tolli, & metum ſuſtulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt. S. Cyprian. l. de bono pudicitiæ.

Divitiarum ſervus, non dominus, eſt avarus; at miſericors tot ſervos probat ſe habere, quot nummos. S. Petr. Chryſol. ſer. 54.

§. VI.

Avaritia idolorum ſervitus.

Ex Veteri, & Novo.

H*I ſunt dii tui Iſrael.* Ex. 32. 4. S. Chryſol. ſer. 29. Aurum Judaicum populum ſic ſuo captivavit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie decepit; ut hoc Deum eſſe crederent; & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum, denegarent. Sic convertit homines in jumenta aurum; ut, vituli caput, caput ſuum crederent; & omnium rerum capiti caput pecudis anteferrent. O dementia digna capite vitulino. Eſcob. t. 6. parab. Chr. Obſ. 4.

Tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. 1. Reg. 5. 3. Quòd cœci homines colerent idolum Dagon, non mirùm; cùm illud aris impoſitum cernebant: ab nunc non in aris poſitum, ſed humi jacentem, dejectum ſemel, & bis, imò confractum, vident, & tamen adorant, & adhuc in ejus cultu perſeverant? Quoties avarus vidit arcas à latronibus effringi, veſtes tinea corrumpi, domos igne exuri, omnia terrena bona vento citius diſparere? & nihilominus ea adorat! Baeza t. 2. l. 11. c. 7. §. 6.

Repleta eſt terra argento, & auro. Iſ. 2. 7. & mox ſequitur: *& repleta eſt terra idolis.* v. 8.

Dives effectus ſum, inveni idolum mihi. Oſ. 12. 8.

Qui ſtatuam auream Nabuchodonoſor non adorabant, in ignem mittebantur. Dan. 3. 6. ſic multi, nè in fornacem paupertatis ingrediantur, de qua Iſ. 48. 10. *elegi te in camino paupertatis*, auream ſtatuam, ſcilicet temporalia bona adorant. Diez conc. 1. in comm. Conf.

Diſperierunt omnes involuti argento. Soph. 1. 11. Involuti, quia cor ſuum, omnemque affectum, dederunt argento. Alii vertunt, *portatores argenti*: argentum enim eſt idolum, quòd portat avarus. Addit Delrio adagio 1008. ſicut infantes, qui rebus vilibus delectantur, involvuntur faſciis; ita divites argento. Corn. à Lap. hic.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris. Matth. 4. 9. Hoc & nunc dicit avaris, ut adorantes ſe omnia hæc habeant. Theophyl. in Matth.

Avaritia *idolorum ſervitus dicitur ab Apoſtolo.* Eph. 5. 5. quia avarus propriè in effectu, & opere, exhibet creaturæ, ſcilicet pecuniæ, illud, quod deberet Creatori, & præcipuè fidem, ſpem, & charitatem. Joan. Gerſon. de 7. vit. capit. Unde Gloſſa non ait habere divitias, ſed ſervire. Servit, qui divitias cuſtodit ut ſervus, ſed qui ſervitutis excuſſit jugum, diſtribuit ut Dominus. S. Bonaventura in hac. Dicitur ille ſervire mammonæ, in cujus affectu divitiæ dominantur. Idem ibid.

Ex Patribus.

Cùm Apoſtolus avaritiam idolorum nominet ſervitutem, quomodo tu Chriſtum colis, qui idolum in pecunia veneraris? S. Petr. Dam. opuſc 3. contra Cl. Regul. propriet.

Planè cùm confidis in incerto divitiarum, qui in ſolo Deo ſpem tuam ponere debuiſti; non jam jure Chriſticola dicendus es, ſed nummicola. Idem l. 1. ep. 18. ad Alex. 2. Pontif. Certè tam nobilis pecunia Chriſtus eſt; ut conſortium omninò aſpernetur peculii; nec cum ſorte pecuniæ ſe patiatur includi. Id. Ib.

§. VII.

Avaritiæ malitia.

Ex Veteri, & Novo.

N*Emo vidit fratrem ſuum.* Ex. 10. 23. Cupiditate namque præoccupatus animus non videt fratrem ſuum, non agnoſcit proximum ſuum. S. Rupert. Abb. in Ex. c. 39.

Quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15. Qui veritatem pro pecunia negant, Dominum pro pecunia vendunt; ipſe enim dixit: *ego ſum veritas.* V. Beda hic. Ecce infelix! qualiter excœcatus eſt! maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire: denarios templo, ſeipſum laqueo addixit. Drogo ap. Sylv. c. 6. in Matth. 27. v. 5. q. 3.

Crucifixi ſunt cum eo duo latrones. Matth. 27. 38. Cur ſola avaritia crucifixa cum Chriſto eſt in latronibus? quia ſola crucifixit Chriſtum. Non adulter, non ebrioſus, non apoſtata, non veneficus, non ariolus, non raptor, juxta Dominum crucifigitur. Ut diſceres, credo, ideo vel maximè crucifixum a Deo Filium, ut pariter cum eo configeret avaritiam: novit enim Dominus, ex avaritia promanare malorum omnium copiam, &c. Oliv. t. 2. Strom. hic.

Filius hominis, futurum eſt, ut tradatur in manus hominum. Luc. 9. 44. cur non dicitur filius hominis ſubjicietur hominum pedibus proterendus, labiis blaſphemandus, crucifigendus, clavis vulnerandus; ſed ut hæc omnia exprimantur, *futurum eſt &c.* Nimirum avaritiæ inſtrumentum manus hominum eſt. Manuum eſt, & nummos numerare, & Jeſum tradere. Nec alii membro tribui potuit tantum facinus, quàm illi, quod avaritiæ famulatur. Unde & ſine interventu pecuniæ Chriſti proditio inchoari non potuit; & Pontifices eo maximè nomine Chriſto mortem intentarunt; quod decimas ſibi imminuendas, ob Domini doctrinam, timerent. Ergo avaritia Jeſum, & vendidit, & crucifixit. Oliva l. 13. Strom. hic.

Hac nocte repetent animam tuam. Luc. 12. 20. Quomodo repetent, cùm ipſi non mutaverint: Jam enim ex ipſa voluntate ditandi teneri videntur intra retia diaboli: & ſibi ſunt mancipati eo ipſo, quo divitias ex avaritia quærunt. Quo jure in hora mortis repetunt divitis animam, velut, dum viveret, ejus dominio ex iniquitate jam traditam. Repetunt igitur maligni ſpiritus animam in morte ad æternam pœnam; eo jure, quo eis ſe obbligaverat per temporalem culpam. Sim. de Caſſ. l. 6. c. 11. de par. divit.

Cur tentavit Sathanas cor tuum - fraudare de pretio agri. Act. 5. 3. Grec. & Syr. *Cur Sathanas implevit cor tuum?* Quia diabolus cor tentat ad amandam, & ſervandam pecuniam; etiam cor intrat, occupat, implet; nullum angulum Cuſtodi Angelo, imò nec Deo ipſi, inurbanus avarus relinquit. Lud. Alvarez Joſeph. Illuſtr. Illuſtr. 329.

Ex Patribus, & aliis.

Quò plus opibus, ac cupiditate, creſcis; eò magis charitate deficis: nam diu jam pecuniam abjicere cogitaſſes, ſi proximos æquè, ac teipſum, amaſſes; nunc ea tibi magis inſita, conjunctaque, quàm corporis membra, videtur. S. Baſilius ſ. 2. in div. avar.

Non amat te, Domine, qui pecuniam diligit. S. Cyprian. de Bapt. Chr.

Nullum peccatum ſine cupiditate committitur; & omnis illicitus appetitus iſtius aviditatis eſt morbus. Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio; & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in qua, avaritia ſibi fecit habitaculum. S. Leo ſect. 9. de paſſ. Dom.

Nullum eſt juſtitiæ in illo corde veſtigium, in quo avaritia ſibi fecit habitaculum. S. Laur. Juſt. lign. vit. de virt. obed. c. 5.

Nihil eſt malorum, quod non cupiditas, aut concipiat, aut pariat, aut paſcat, aut nutriat: ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum cauſas; hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies inſtrui, hinc amicitiarum fœdera diſſipari. D. Valerianus Cemelienſis Ep. hom. 20.

Magis propriè eſt imago Dei anima rationalis, quàm alia imago. Et aliqui ſcindunt eam; ut iracundi, & vindicativi: alii projiciunt in ignem, ut avari; quia avaritia eſt ignis. S. Vinc. Ferr. ſ. 2. de SS. Trinit. Alii projiciunt in latrinam, ut luxurioſi. Id.

Tria ſunt peccata Deo horrenda, propter quæ contra rationalem creaturam iraſcitur Deus. Superbia, luxuria, avaritia. Secundùm hæc tria peccata tria ſunt generalia judicia Dei. *Primum*, quod jam factum eſt contra Angelos Dei rebelles. *Secundum* judicium factum eſt contra luxuriam, de quo Gen. 6. 5. *videns autem &c. Tertium* judicium futurum eſt, quod contra avaritiam per ignem fiet. Matth. 25. 46. S. Bern. Sen. t. 1. ſ. 11. art. 1.

In vita, & operibus tuis, tota ferè Inferni facies depingitur: nec enim deeſt tibi unda Tantali; Titii jecur, rota Ixionis, urna Belidum, ſaxum Siſyphi; dum inter divitias eſuris, dum ſollicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum in ſaccum pertuſum congregas. Petr. Bleſ. ep. 91. ad Radulphum Ep.

Sicut ebrii impediuntur à vini vaporibus, quò minùs rectè utantur mente; ſic ab inſana habendi cupiditate occupati, multa peccant; quæ nè peccata quidem eſſe agnoſcunt. Iſid. Clar. lib. 1. or. 66.

§. VIII.

Avaritia inutilis, imò noxia, proximo.

H*Omo quidam erat dives.* Luc. 16. 19. *Quidam* dixit; ad inſinuandam ejus ſingularitatem: dives enim avarus ſolus eſt; à nemine amatur. Neſcit patrem, fratres ignorat; propinquos reſpuit, nemini utilis eſt. Alii peccatores, licèt ſibi incommodent; aliis ſunt utiles. v. 9. Superbus, plurimis ſtipatus famulis, ædificat domos; helluo cauponibus. Avari reipublicæ nocent, frumentum &c. aſſervantes pauperibus oneri, &c. Rapiunt ad ſe aliis neceſſaria; ſicut qui in hoſpitio ſub uno ſtragulo ſibi invicem ita rapiunt, ut alter denudatus frigoris ſit expoſitus. Did. Stella hic.

Unde tanta in Mundo indigentia, niſi ex iniqua avaritia plurimorum. S. Thom. Vill. D. 4. Paſch.

Ubique certè avarus inutilis eſt; nec ad imperandum exerci-

tui; nec, ut præſit populo, commodus. S. Chryſoſtomus in Matth. 26. hom. 81.

Maledicta eſt avaritiæ ara: nam ſi ad ſimulacrorum acceſſeris aram; videbis eam caprinum, & bovinum, olentem ſanguinem: ad ipſam verò avaritiæ aram ſi veneris, humanum ſanguinem videbis miſerè, & crudeliter, exhalantem. S. Chryſoſt. in ep. ad Epheſ. ſerm. 18.

Auri furor ardentiùs humano fervet in pectore, quàm caminus totus igneſcit incendiis: & acriùs homines diſſolvit in terra, quàm ſolvitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, ſævus hoſtis; amando lædit, nudat vitando, ipſum etiam captivat aſpectum; fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, &c. S. Chryſol. ſ. 29.

Avarus, injuſtus, & crudelis, eſt quodammodo ipſis rebus inanimatis, quas poſſidet: quia frumentum, veſtes, cibos &c. in carcere putreſcere faciunt. Jacob. 5. 2. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt.* Et in hoc crudeliores ſunt Inferno, & dæmonibus; qui nullum incarcerant, qui non demeruit. Summa prædic. tit. Avar.

In Eccleſia SS. MM. Placentinorum puteus quidam ſcatens oleo ſaluberrimo erant; ad quem ſtetit avaritia lucrum inde quærens. Boll. 2. Jan.

§. IX.

Avaritiæ origo.

D*Ic, ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. 3. Theophyl. non dixit, dic, ut lapis hic panis fiat: *ſed ut lapides iſti panes fiant*; volens Chriſtum ad ſuperflua inſtigare. Eſurienti enim unus panis ſufficit. Eſcob. t. 2. perſec. Chr. obſ. 7.

Sicut de veſtimento tinea, rubigo de metallo, de neceſſitate fures, naſcuntur; ita de divitiis avaritia, cupiditas de quæſtu, de habendo habendi ardor, acquiritur. S. Chryſol. ſ. 7.

Philargyria, id eſt, amor pecuniarum, plerumque ſumit principium ex tepido erga Deum amore. Jo: Caſſian. l. 7. c. 1.

Cur ſimulacro Babylonis ſimiles avari? Aureum habent caput; nihil, præter opes, mente verſant. Cur aurum caput occupavit? quia lutum in pedibus ejus. Mortis oblivio cupiditatem parit. Jaceret ſub pedibus aurum, ſi pulvis reſideret in capite: facilè contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum. Oliv. t. 2. Strom. §. omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.

§. X.

Avaritiæ remedia, & ei oppoſita.

Primum.

Paupertas Chriſti.

Q*Uæ avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate Filii Dei non ſanatur? S. Auguſt. lib. de agone Chriſtiano c. 11.

Qui divitiis ſublimatur, aſpiciat Mundi dominum eſſe pauperrimum, & egenum. Quis unquam ita pauper, ut Dominus; ut cunam ad ſolatium non haberet? S. Bonav. ſect. 11. de temp.

Quis cupidus eſſe audeat? dum Chriſtum videt naſci in ſtabulo, poni in præſepio, jacere in fœno, omni carere temporali ſubſidio; & nudum ſuſpendi in ligno. Idem ſ. 2. in Conv. S. Pauli.

Secundum.

Eleemoſyna.

Remedium, ad evadendam avaritiam, unicum aſſignat, eleemoſynam. S. Iſid. Peluſiota l. 2. ep. 233. quæ collecta ſunt, vel confertim, vel paulatim egenis diſtribuamus. Nam hæc demum ſola ratio eſt, qua ab hujuſmodi captivitate revocemur.

Si ligna appoſita igni ſubtrahuntur, deficit ignis; ita in avaro, ſi divitiæ ejus ſubtrahantur ſibi, & dividantur inter pauperes; extinguitur ejus inſatiabilis appetitus. S. Bernard. Sen. ſer. 6. de Amore.

Febris poteſt dici avaritia. Hæc febris curatur per tactum manus; quando Dominus ſcilicet manum tangit; id eſt, quando facit avarum manum pauperi porrigere, eleemoſynam largiendo. Hugo Card. in Matth. 8. 14.

Radix omnium malorum quid eſt? Avaritia. Radix omnium bonorum quid eſt? eleemoſyna. Et qui nunc vulneratus es per avaritiam; cura te per eleemoſynam. Mortuus es per avaritiam; te vivum oſtende per eleemoſynam. S. Laurent. Novar. homil. de eleemoſyna.

Tertium.

Memoria mortis.

Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis. Gen. 18. 27. Quid divitias ſuas æſtimabat, qui ſeipſum pulverem, cineremque putabat. S. Greg. apud Eſcobar t. 1. Mir. Chr. l. 3. ſect. 1. obſ. 4.

Iſraelitæ exierunt de Ægypto videntibus Ægyptiis, & ſepelientibus mortuos ſuos. Num. 33. 4. In conſpectu ſepulchri homines vel avariſſimi nihili ſolent pendere divitias. Spernit divitias, qui cinereum terminum meditatur. Eſcob. tom. 3. Colloq. Chr. volum. 4. ſect. 2. obſ. 7.

De ſanguiſuga dicunt Philoſophi, quòd ſi alicui rei inhæret, & ei cinis injiciatur, ſtatim disjungitur, & recedit. Avaritia eſt ſanguiſuga, & nimia ſollicitudo de rebus terrenis, quæ animæ ſanguinem, virtutemque, ſugunt. Injice cinerem, id eſt, ſeriò cogita; te hodie, aut cras moriturum; recedant hæ ſanguiſugæ. Diez ſer. 4. Cin.

Alia remedia, & oppoſita.

Chriſtus Luc. 15. ad peccatores revocandos, tres per ordinem parabolas ponit, ovis, drachmæ, filii: parabolam ovis contra ſuperbiam, drachmæ contra avaritiam, filii contra luxuriam, objiciens; & ſic ab omni peccato revocat eos. Hugo Card. hic.

Traditus eſt pro denariis inimico, nè tu traderis pro denariis diabolo. S. Bonav. Dom. Quinq. ſ. 2.

Septem vitia capitalia ſunt ſeptem donis oppoſita: opponitur enim ſapientiæ luxuria, intellectui gula, conſilio avaritia, fortitudini acedia, ſcientiæ ira, pietati invidia, timori ſuperbia. Id. in Luc. 14.

Officium donorum Spiritus Sancti eſt, diſſipare omnes vitiorum obliquitates. Primò enim Timor propulſat reliquias ſuperbiæ. Conſilium avaritiæ: diſponit enim Conſilium ad Spiritus paupertatem: *Si vis perfectus eſſe &c.* Matth. 19. 21. S. Bernard. t. 3. ſerm. in die Pent.

Fræna deſiderium, & non cades in laqueum. Si autem vicerit te deſiderium eſcæ, mittit tibi collum in laqueum, & capiet te anceps animarum. S. Auguſtinus in Pſ. 139.

Dico Domino meo: Deus meus es tu; & dicit mihi Dominus meus: ego Dominus Deus tuus. Homo, cujus Deus eſt, quid ampliùs quærit? ſi ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus. Eſto tu Dei; & erit tuus Deus tuus. S. Cypr. de Aſcenſ. Chr.

Quando cupiditate flagras; cogita, quonam ſis perventurus. Si te in terram diſſolutum iri conſideraveris, reprimetur cupiditatis furor. Terra es, & in terram reverteris. S. Gregorius Nyſſ. or. 2. in hominis procreationem.

Varia de avaritia.

Judæi modò facti ſunt ſpongiæ, & ſanguiſugæ regum, & principum: ut, cùm collegerint ſugentes ſanguinem pauperum, evomant eis collecta. Et hoc proceſſit ex avaritia principum. Hugo Cardinal. in Pſalm. 88.

Monſtro ſimilis eſt avaritia ſenilis. Quid enim ſtultiùs eſt, quòd dici ſolet; quàm via deficiente viaticum augere. S. Martinus Bracar. Ep. in Maximis de moribus.

Extiterunt in omni tempore, & in noſtra quoque ætate non deſunt, ſicut & boni pauperes, ita & boni divites. S. Proſper Aquitan. Ep. ad Sacram Virg. Demetriadem.

TITULUS XXVII.

AULA.

§. I.

Periculoſa, noxia.

Ex Veteri, & Novo.

A*Ccidit, ut peccarent duo Eunuchi.* Gen. 40. 1. Judæi dicunt, peccatum pincernæ in eo fuiſſe, quòd muſca inventa fuerit in poculo Pharaonis; piſtoris verò, quòd pilus in pane. Oleaſt. Hoc communiter ſervis principum evenire ſolet, ut propter facilem cauſam in carcerem detrudantur; & una hora perdant, quod tota vita meruerunt. Varia, & injuſta res, eſt principis animus; ut qui pro minimo hominem evehat, & pro nihilo deprimat. Alvarez in Joſeph Illuſtr. Illuſtr. 122. Aula, & aura, una tantùm littera diſtant.

Quomodo palàm factum eſt verbum iſtud. Ex. 2. 14. Vide, quàm inſtabiles aulæ honores. Moyſes, adoptatus in filium regis, pellitur in exilium. Verè dixit Philo libro: quòd Deus ſit immutabilis: ſicut affluxum maris ſequitur paulò poſt refluxus; ſic rerum caducarum affluentiam ſequitur mox refluentia. S. Athanaſius, cùm Juliani Apoſtatæ juſſu Alexandria in exilium pelleretur, & circa ſe Chriſtianos lacrymantes videret, dixit: bono animo eſtote; nebula enim eſt, quæ citò evaneſcet. Corn. à Lap. hic.

Stet David in conſpectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis. 1. Reg. 16. 22. ait Saul impuro oppreſſus ſpiritu. David *tollebat cytharam &c.* v. 23. S. Baſil. Seleuc. or. 14. cauſam tanti triumphi deprehendit: Loquebatur tantùm, & hoſtis vincebatur; & lyræ melos, velut telum jaciebatur in dæmonem. Quis audivit trophæum cantibus excitatum? Nè verò mireris, ſi cum regno in dæmonem quoque vires acceperit: nam Chriſti pater ſecundùm carnem David fuit. Leones diſcerpſit, & urſos, gigantem lapidis ictu dejecit; verùm neceſſe fuit Chriſti patrem eſſe; ut dæmonem cantu ex aula pelleret. Naxera in Joſ. 11. §. 26. David laceravit urſum, & leonem. 1. Reg. 17. 34. ſed in aula Saulis, quanta ei pericula! Naxera in Joſ. 2. §. 50.

Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque, erit habitatio tua. Dan. 4. 22. Ut Deum agnoſcat, è curia expellitur, & in montium receſſibus commoratur: Naxera in Joſ. 11. §. 26.

Facta eſt tempeſtas magna in mari. Jonæ 1. 4. In mari periclitatur;

tur; in ventre ceti ſecurus, Navis, aulæ typus. Difficilius eſt inter aulicos inoffenſum vivere, quàm illæſum inter feras ſervari. Naxera in Joſ. 2. §. 50.

Stella Magis in aula radios retraxit. Matth. 2. 9.

Tentabatur Chriſtus *à Sathana, eratque cum beſtiis*. Marci 1. 13. ſed illæſus: non ità in aula Caiphæ, Pilati, Herodis. Naxera in Joſ. 2. §. 50.

Joannes in deſerto inter feras immunis, in aula Herodis decollatur. Marci 6. 28.

Ex Patribus, & aliis.

Mirum dictu eſt: nutritus (nobilis Salvinæ maritus) in palatio, contubernalis, & condiſcipulus Auguſtorum; quorum menſæ miniſtrat orbis, & terræ, & maria, ſerviunt; inter rerum omnium abundantiam; in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret; & nè levem quidem in ſe obſcœni rumoris fabulam daret. S. Hier. ep. 9. Ad Salvianam de ſervanda viduitate.

Arbor plena fructibus cœlo relicto, ad terram demittitur; Luna, cùm maximè lucet, & plena eſt, maximè abeſt à ſole: ſic dives, cùm plenus eſt opibus, cœlum non intuetur, Chriſtum ſolem non reſpicit. P. Octavianus in Eccl. cap. 5.

Homines in curia ſabbathizare non vidi: unde & in ea parte melior eſt conditio jumentorum. Petr. Bleſ. ep. 14. ad Sacellan. Aulic. Regis Anglorum.

Pro vaniſſima vanitate militant hodie noſtri Curiales in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis in falſis fratribus, in mortibus frequenter &c. in quibus gloriam martyrii mererentur, ſi hæc pro Chriſti nomine ſuſtinerent. Nunc autem ſunt martyres ſæculi: per multas ſiquidem tribulationes intrant juſti in regnum cœlorum; hi autem per multas tribulationes merentur Infernum. Id. ib.

Idem ib. vocat aulam laborioſam, opertam mortis caligine, ubi umbra mortis, & nullus ordo.

Erat viro nobili in aula Vvirtenbergenſi canis; qui, ubi vel ſemel tantùm ab aulicis canibus malè acceptus eſt; injuriæ, damnique memor, deinceps herum ſuum ad veſtibulum tantùm arcis aulicæ comitatus eſt; & mox domum recepit ſe in tutum. Obſervavit dominus canis ſui tam circumſpectum obſequium; &, verè, inquit, meus canis plus me ſapit: ego in aula toties peſſimè habitus, in dies tamen uſque redeo. Drexel. Triſmeg. l. 3. c. 11.

§. II.

Aulæ mali mores, & Aulicorum.

T*U forte divides populo huic terram*. Jo. 1. 6. Nè miniſtris commiſeris; non æqua fiet diviſio. Bibulæ ſunt miniſtrorum manus; quandoque ipſe cuſtos, aut diſtributor, eſt raptor. Naxera hìc §. 45.

Fecit Rex Salamon thronum - & 12. leunculi ſtantes ſuper 6. gradus. 3. Reg. 10. 18. 20. Rex pacificus leonum ferocitate non debebat terrere, ſed agnorum potiùs manſuetudine allicere. Aptè miniſtrorum regiorum mores depinxit. Si quis ad regem accedere velit, medios inter leones gradi opus erit; quocumque ſe verterit, inveniet ungues. Pſ. 103. 21. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant eſcam ſibi*. Naxera in Joſ. 22. §. 20.

Heliſæus implebat vaſa vacua, & deficientibus vaſis vacuis *ſtetit oleum*. 4. Reg. 4. 6. In curia verò contemnuntur vaſa vacua: & plena implentur; ligna in ſylvas, & aquæ in maria deferuntur. Petr. Bleſ. ep. 14. ad Sacellan. aulic.

Vox clamantis in deſerto. Luc. 3. 4. In deſerto, non in palatio. Ibi non clamat Chriſtus, ſed Juſtinianus; vel etiam Galenus bene auditur ibi, vel etiam minùs; ſed Chriſto indictum eſt ſilentium. Imò, quod pejus eſt, legitur Jer. 36. 23. quòd, cùm volumen allatum eſſet in palatio coram rege *ſcidit illud, & projecit in ignem*. Hugo Card. hìc.

Panes quinque, & duos piſces, diſtribuit Dominus quinque millibus hominum, & impleti ſunt *duodecim cophini* fragmentorum. Joan. 6. 11. 13. At Marci 8. 8. diſcipuli ſeptem panes diſtribuunt quatuor millibus hominum, *ſeptem* ſolùm referunt *ſportas* fragmentorum. Apoſtoli quidem fideles. Sed ut agnoſcas, quàm divitiæ, etiam miniſtrorum probatiſſimæ conſcientiæ, manibus mutentur. Pauciores panes in Domini manu augentur; plures in Diſcipulorum manibus minuuntur. Naxera in Joſ. 1. §. 45.

§. III.

Aula ſancta, & aulici ſancti.

A*Nima Jonathæ conglutinata eſt animæ David.* 1. Reg. 18. 1. S. Greg. thaum. orat. in Orig. conglutinata eſt non anima David animæ Jonathæ, ſed è contrà. Nec enim pars potior, cùm ſibi per ſeipſam ſufficiat, deteriori ſe agglutinari ſineret, Equidem tunc David à Saule petitus ſummè indigebat auxilio ſibique videbat Jonatham affectum. An ideò adhæſit filio principis, illiuſque ſe pedibus alligavit? abſit! David Deo nitens ſic principis utebatur favore, quaſi illius minimè indigeret. Baeza t. 2. l. 6. c. 6. §. 2.

Judith impoſuit Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei. Judith 10. 5. Sic defert cibos ſuos, ut non indigeat quidquam de principum menſis ſumere. Addit præterea 11. 14.

Deum colo etiam tunc apud te. q. d. Non principis gratia, non favor, à Deo meo me abalienabunt. Id. ib.

David in regali culmine monachi vitam imitabatur. S. Chryſoſtomus in Pſal. 20. Theodoſius Imp. palatium ſic diſpoſuit, ut haud alienum eſſet à monaſterio. Sacrates lib. 7. c. 22.

Studioſè commendavit nobis Rex Joannes 3. eo ipſo die, quo primùm eum vidimus, ut confeſſiones audiremus nobilium adoleſcentum, qui in ipſius comitatu eſſent: nam ipſe mandatum edidit; ut nobiles juvenes omnes, qui aulam ejus frequentant, octavo quoque die peccata confiterentur. In hujus executionem mandati, & in ejuſmodi adoleſcentes, ut nos invigilaremus, ſedulò, injunxit, cujus curæ hanc rationem dabat; ſi à puero inſueverint cognoſcendo, adorandoque Deo, deinde, cùm maturuerint, viros bonos evaſuros. Porrò hi nobiles, quales fuerint, ſine dubio plebem ad eorum exemplum formandam. S. Franc. Rav. l. 5. ep. 2. S. P. N. Ulyſſipone.

T I T U L U S XXVIII.

A U R U M.

A Urum Judaicum populum ſic ſuo captivavit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie decepit; ut hoc eſſe Deum crederet; &c. vide tit. avaritia §. 6. initio.

Si putavi aurum robur meum. Job 31. 24. Sept. *Si poſui aurum in conjugem meam*. Pro conjuge relinquet homo patrem, & matrem; ſic qui aurum amat, nihil cognatos omnes facit præ illo. Uxor tantùm in morte relinquitur. Auro autem homines tenaciter inhærent ut conjugi. P. Octavianus in Eccleſiaſticum cap. 5.

Qui poſt aurum non abiit. Eccl. 31. 8. Noli amare aurum: ſi malus es, is poſt aurum; ſi bonus es, it poſt te. Quid eſt, it poſt te? tu ducis, non duceris: quia poſſides, non poſſideris. S. Auguſt. ſer. 115. de diverſis.

Vidit ſedentem in telonio. Matth. 9. 9. Sedebat utique, qui ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa tota conſcientia fraudis incurvus. Aurum natura grave gravius fit avaritia nimis-vehementiùs aggravat corda, quàm corpora. Naſcitur in terra profunda, ſectatur ipſa montium fundamenta; & dum ſuam ſemper raptat ad naturam, cœleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus ſemper; alta mentium ſemper in terrena demergit. S. Chryſol. ſer. 29.

Aurum materia laborum, enervatio virtutum, malus dominus, proditor ſervus. S. Aug. ex Append. de diverſis.

Ille habet aurum, qui novit uti auro; qui autem auro uti non novit, habetur, non habet; poſſidetur, non poſſidet. Eſtote domini auri, & non ſervi auri. & quia aurum Deus fecit, & te ſuper aurum ipſe fecit ad ſubſidium tuum, & te ad imaginem ſuam. Vide, quod ſupra te eſt, & calca, quod infra te eſt. S. Auguſt. in Pſalm. 123.

Aurum, ut vitæ inſidiatorem, peccati patrem, diaboli miniſtrum, vitabis. S. Baſil. ad Chilonem de vita ſolitaria.

Aurum occultum tyrannum vocat S. Gregor. Naz. orat. 34.

Aurum ipſum, quid niſi eſt ſplendens quædam terra, & nitidius paulò lutum? Magnus Monomotapæ rex novo elogio dicitur, Imperator auri. Juſt. Lipſ. Cent. 1. ep. 4.

T I T U L U S XXIX.

AUXILIUM DIVINUM.

§. I.

Varia nomina, figuræ, & Symbola.

E*Go protector tuus*. Gen. 15. Hebr. *ego ſum clypeus tuus*. Apud Alciatum emblema militis, qui ſcutum, quo hoſtium tela exceperat, cymbam fecit, quo fluvium trajecit; indeque clypeum oſculatus; hic verus, inquit, & ſolus mihi amicus fuit, cùm premererque ſolo cùm premererque ſalo. Tale ſcutum ſuis eſt Deus. Cornelius à Lap. hìc.

Apud Hebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt, & Domini optant auxilio adjuvari, dicant: *in monte Dominus videbit*. Gen. 22. 14. hoc eſt, ſicut Abrahæ miſertus eſt, miſerebitur & noſtri. S. Rupertus hìc.

Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam. Gen. 30. 22. Quomodo recordatus eſt Rachelis, cùm nullius rei, licèt exiguæ, oblivìſci poſſit? Reſp. Abul. dicitur more humano: homines enim, quando amicos in miſeriis adjuvant, non dicuntur recordari. Deus autem, qui aliquando videtur nos deſerere, licèt non deſerat; quando rurſus nos adjuvat, noſtri recordari dicitur. Hujus ſtyli conſcius Joſeph, cùm pincernarum præpoſito felicitatem jam prædixit in ergaſtulo, ait: *memento mei, cùm bene tibi fuerit*. Gen. 40. 14. Recordatus igitur Rachelis eſt Deus; non quia unquam illius oblitus; ſed quia modò miſertus. Chaldæus ſic legit: *& venit memoria Rachelis in conſpectu Domini*, & ſuſcepit orationem ejus. Ideo Deus Rachelis fuit memor, quia

ipſa Dei memor. Obliviſcetur tui Deus, ſit tu ejus immemor. Alvarez Joſeph. Illuſtr. Illuſtr. 1.

Et poſuit Ephraim ad dexteram ſuam. Gen. 48. 13. Dextera ſignificat auxilium. *Operi manuum tuarum porriges dexteram*. Jo. 14. 15.

Exurge Domine! Pſal. 3. 7. Dicitur Deus per metaphoram exurgere, quando incipit juvare: quemadmodum dicitur dormire, dum non juvat. Bellarminus hìc.

Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam. Pſ. 9. 14. Sic ſibi poſtulat ſubveniri, ut à clementiſſimo Rege videatur: quia revera conſpectus ejus auxilium eſt. Caſſiodorus hìc.

Dominus firmamentum meum &c. Pſalm. 17. 3. In Hebræo *petra* pro firmamentum, pro refugium *arx*, ſive *munitio*. Bellarm. hìc.

Extendi manum meam. Prov. 1. 24. Extendere manum, eſt beneficia offerre, & conferre, ait Beda Corn. à Lap. hìc.

Sub umbra illius. Cant. 2. 3. quia in ejus protectione confido, & ab eo inter adverſa gubernari, ſpero: Umbra enim Chriſti protectio Divinitatis eſt; qua electos tuetur, & defendit. S. Thom. in Cant. hìc.

In umbra tua vivemus. Thren. 4. 20. In tua protectione inter gentes iniquas à malis tuti vivemus. Ità Rupert. Hugo, Lyr. Corn. à Lap. hìc. Bona eſt, & deſiderabilis umbra ſub alis Jeſu; ubi tutum eſt fugentibus refugium, gratum feſſis refrigerium. S. Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus.

§. II.

Dei proprium juvare, & ejus promptitudo.

D*Omine! nonne ad te pertinet, quia perimus?* Marci 4. 36. Magnæ profunditatis, & divinæ inclinationis eſt verbum, Domine &c. imò ad neminem pertinet, niſi ad te, ſi perimus: tui enim in creatione ſumus; tibi ergo perimus, ſi tui ſumus. Ad te ſolum liberare pertinet, ne pereamus, & reaſſumere de periculo, ſi incurrimus. Vocaſti nos in promiſſione tua, ſequimur te in fide noſtra, vocaſti nos miris modis, ſequimur te veſtigiis noſtris; patrocinia Mundi dimiſimus & ſub tua protectione confugimus. Sim. de Caſſ. l. 5. c. 2.

Ecce quem amas, infirmatur. Jo. 11. 3. Non rogaverunt, ut veniret, & ſanaret languidum; ſed tantùm inquiunt, *ecce*: amanti enim ſatis erat nuntiaſſe. S. Rupert. Jo. hìc.

Stephanus vidit Jeſum ſtantem. Act. 7. 55. paratum videlicet ad ſibi impendendum ſuffragium.

Quia Dominus es, adjuvare nos potes; ſed quia Jeſus es, nos adjuvare te decet; quia totus dulcis es, & pius. Veni ergo, & fac, quod te decet. S. Bonav. ſ. 3. de adventu.

§. III.

Auxilio humano deficiente adeſt Divinum.

Figura, & Symbola.

P*Uer Ægyptus ego ſum, ſervus viri Amalecitæ; dereliquit autem me dominus meus; quia ægrotare cœpi*. 1. Reg. 30. 13. At David ipſum fovet, & cibo recreat. Carthuſ. per puerum Ægyptium ægrotantem, à domino ſuo derelictum, intelligitur quicumque ſæcularis adverſitatibus preſſus, & à Mundi amatoribus ſpretus infideliterque deſertus; quem Salvator miſericorditer intuetur, conſolatur, ac reficit. Sylv. Addit. in Luc. 14. 21.

Luna perfecta in æternum, teſtis in cælo fidelis. Pſal. 88. 38. teſtis ſcilicet divinæ providentiæ, & bonitatis. Cur hoc non potiùs præſtet ſoli? Luna nocte deſerto, pavido adeſt; ideo teſtis divinæ providentiæ: quia magis deſertis magis adeſt. Syl. Addit. in Matth. 5. 14.

Abjecti à Mundo recolliguntur à Deo. Flos mali granati, qui vocatur balauſtia, dum cadit ab arbore, colligitur à medico: Eſt enim hic flos frigidus, & ſiccus, ad multa utilis. Sic à Mundo deſpecti, quaſi ab arbore cadunt, tamquam inutiles; ſed à Domino aſſumuntur. Jo. Geminiani l. 3. c. 2. de vegetab. & plantis.

Abjecti, & deſpecti, à Mundo; ſuſcipiuntur, & nutriuntur à Deo; cujus exemplum in pullis aquilæ: quia hæc illos cum multa gravedine nutrit: ſi tres pullos habuerit, unum abjicit; quem tamen alia avis accipit, & nutrit. Sic, quem Mundus perſequitur, gratia Dei miſericorditer amplexatur. Id. c. 1. lib. 4.

Quando aliquis pater cum filio ſuo parvulo iter facit; ſi ad rivum, vel locum aſperum, perveniunt; pater puerum ſuis humeris, aut brachiis, bajulat; per planam viam ſolum ſinit ambulare. Sic miſericordiarum Pater in rebus difficilioribus filios ſuos juvat magis, & quaſi humeris bajulat, ut vix laborem aliquem ſentire videantur; in aliis verò rebus, quæ faciliores ſunt, eos tanto favore non afficit. Diez D. 24. Pent. conc. 1.

Exempla, & teſtimonia.

Ex Veteri.

Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Gen. 2. 18. Homo velut ſui oblitus, ſilet, nec à Deo petit ſociam ſibi conſimilem; at Deus, tacente homine, nec petente, providet ei adjutorium. Cur Deus hominis curam ſuſcipit, ipſo ſilente? ſi homo eget adjutorio, clamet, petat; cur Deus non petita concedit? Tacente homine clamabat neceſſitas; ſuperſunt voces, ſi illa clamet. Did. de Caſtillo Illat. 95.

Fac tibi arcam. Geneſ. 6. 14. Arca erat, non ut navis; ſed infra, & ſuprà, lata, æqualis, plana. Philo, Arias Montanus, aliique, dicunt, ſimilem feretro, quo mortuus deportatur. Vehebantur illa arca, velut in loculo funerali, humani generis reliquiæ: nulla vectoribus, ſi naturam ſpectes, videbatur ſpes ſalutis. At eò illuſtriùs prodiit virtus Dei ex diluvio, ex loculo ferali, exſuſcitans eos in novam lucem, in novum Mundum. Fernandius hìc.

Incluſit Deus Noe deforis. Gen. 7. 16. quia nemo erat, qui oſtium foris oblimaret. Stengelius t. 1. de div. provid. c. 10.

Abiecit puerum ſubter unam arborem. Gen. 21. 15. q. d. ſuffice, Domine huic arbori in deſerto aquas, quia omni ope alia deſtituta. Et ſedens contrà levavit vocem ſuam, & flevit. *Exaudivit autem Deus vocem pueri*. Quomodo pueri? mater flevit, illa rogavit; attamen filii tacentis vocem audit, unde ſubdit: *quid agis Agar? noli timere, exaudivit enim Dominus vocem pueri de loco, in quo eſt*. v. 17. q. d. neceſſitas vocem habet, quàm Deus exaudivit, ut opem ferat deſerto; Octavian. in Eccleſiaſticum cap. 2. 6. Non datis illi ſervis, non ancillis, auro, vel argento, è domo juſſit abire puerum. Theodoret. Quò magis deſtitutus humano auxilio, promptiùs experitur divinum. Alvarez Joſeph Illuſtr. Illuſtr. 109. v. 21.

Non extendas manum tuam ſuper puerum. Gen. 22. 12. Jugulanda jam innocens victima, omni humano auxilio erat deſtituta. Cùm ergo nemo eſſet in terra, qui illi poſſet ſuccurrere, cœleſte adfuit auxilium. Did. de Caſtillo Illat. 95.

Fuitque Dominus cum eo. Gen. 39. 2. Quem fratres dereliquerunt, Deus in tutelam, & honorandum, ſuſcepit. Id. ib. Illuſtr. 82. Quem homines abjiciunt, Dei clementia ſuſcipit. Hippomanus.

Sumpſit fiſcellam ſcirpeam - poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carècto ripæ fluminis. Ex. 2. 3. Naſcitur Moyſes, dum Pharao jubet, mares ut primùm natos in flumen mergi, & pii parentes eum ſervare cupientes in fiſcella fluvio tradunt. Si filium illæſum volunt, cur derelinquunt, & aquis committunt? Ipſam derelictionem patronam eligunt, ut filium tutum ſervent: caret patrocinio puer innocens, mox aderit divinum. Idem Illuſt. 111.

Perſequetur vos, & gloriabor in Pharaone. Ex. 14. 4. Omnia artificia hæc exquiſivit Dominus, quò Hebræi acceptum beneficium pluris æſtimarent, eoque magis victoria delectarentur: ac denique cognoſcerent, Deum vel maximè in rebus deſperatiſſimis auxiliari. Diez D. 4. Epiph. c. 2.

Nolite timere. Ex. 14. 13. Moyſes duro, & incredulo, populo manſuetè reſpondet, memor vocationis Dei, & ſalutis populi potiùs, quàm injuriarum. q. d. Deus vos in dictum hunc locum concludi voluit, ut hic ſuam in vos curam, & potentiam oſtenderet. Hic ergo locus vos magis in ſpem excitare debet: Deus enim maximè adeſt, quando ſpei ſupereſt minimum. Corn. à Lap. hìc.

Toto corde univerſus Iſrael ſequitur Abſalon. 2. Reg. 15. 13. patre deſpecto; ſed audi fiduciam deſerti 2. Reg. 16. 12. *ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam*. Alvarez Illuſtr. 2. morali.

Adjutor in opportunitatibus. Pſ. 9. 10. illud eſt adjutorium dulciſſimum, quod in neceſſitate præſtatur. Caſſiodorus hìc.

Erraverunt in ſolitudine. Pſ. 106. 4. *& infirmati ſunt, nec fuit, qui adjuvaret*. V. 12. *Clamaverunt ad Dominum, & liberavit illos*. v. 13.

Deſcendit itaque Jeremias in cænum. Jer. 38. 6. Nota: Deus tunc maximè adeſt, cùm res videntur planè deſperatæ; ſi ſeriò invocetur. Quis non putaſſet actum de Jeremia cùm communi regis, & principum conſenſu in lacum projectus eſt? at Deus ei affuit, uti ei promiſerat. Corn. à Lap. hìc.

Angelus Domini deſcendit. Dan. 3. 49. Diſpoſuerat divina providentia, ut miniſterio Angeli tres pueri liberarentur. Cur ergo non occurrit angelus, dum comprehenduntur, ligantur? Cùm ſunt in medio fornacis, ſpes omni humani auxilii defecerat. Sylv. in Matth. 20. cap. 34. q. 4. 6.

Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari. Dan. 7. 3. Ecce meræ beſtiæ apparent in terra; nullus homo, qui humanè agat, hinc leo, inde pardus, & urſus, profilierunt, ut luctuoſam exerceant carnificinam. Quid tunc? *aſpiciebam* v. 6. 7. *& ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis*. v. 13. Ubi meræ beſtiæ, nullus homo comparet, mox Filius hominis in cœlo adeſt, qui ſui vicarius hominis erga homines officium agat. S. Chryſol. ſ. 156. meritò, quia humana deſunt, divina ſuccurrunt; & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 22.

Dabo vallem achor. Oſ. 2. 15. id eſt, turbationis, *ad aperiendam ſpem*. q. d. turbatio, & deſperatio, erit occaſio, & initium ſpei. Ubi omnia videbuntur perdita, & deſperata, ibi affulgebit ſpes ſalutis: Deus enim in extremis difficultatibus maximè adeſſe ſolet. Corn. à Lap. hierogl. & ænigm. in Prophet. hìc.

Ex atro carcere Jonam c. 2. 2. nemo potuit liberare niſi ille ipſe, qui ventum, & mare concitavit. Stengelius t. 1. div. judic. cap. 11.

Ex Novo.

Ipſe verò dormiebat. Matth. 8. 24. Eucher. l. de formulis ſpirit. dormire Dei eſt anxiis tardiùs ſubvenire. Propterea, inquit Theophylactus in Luc. 8. non in principio, ſed in articolo periculi, excitatus illos ſervavit. Sic permiſit Bethuliam Judith. 7. 1. pœnè in hoſtium deditionem venire. Suſannam paſſus eſt ad ſupplicium duci. Dan. 13.43. Davidem à Saule ità obſideri, nulla appareret effugiendi ſpes 1. Reg. 23. 25. ſubitumque rebus ferè deploratis præbuit auxilium. Solent enim, ait Theophyl. homines tunc meminiſſe ejus, qui ſalvat, quando à magnis periculis eripiuntur. Barradius D. 5. Epiph. t. 2. l. 5. c. 15.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Matth. 8. 26. Si navicula jactata jam penè mergitur, *ita ut mergeretur fluctibus*, quomodo Diſcipuli non timeant? imò cur metu tententur? an neſcitis, Dei auxilium rebus deſperatis illuceſcere? Eſcob. mir. Chr. hic obſ. 2.

Quia venti, & mare, obediunt ei. Matth. 8. 27. Vela ſpei in DEUM maximè expandenda, cùm tempeſtates exſurgunt. Jo. Rho affectus ſpei.

Impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Matth. 9. 18. De hoc medio non agit, niſi quando filia jam erat in ultimo. Quamdiu media humana erant, iis uſus eſt; at, deficiente in humanis omni ſpe, tunc ad Chriſtum ſe confert. Sylv. hic q. 3.

Apoſtolis de nocte laborantibus. Marci 6. 48. apparuit Jeſus non in prima vigilia noctis, ſed *circa quartam vigiliam noctis*, cùm jam ferè de labore deſperarent. Did. Stel. in huc 1. *Non erant laborantes in remigando.* Marci 6. 48. Non ſtatim ab initio periculi, ſed in fervore apparet Chriſtus; ut, cùm noverimus omnem noſtram virtutem, & ſapientiam, invenerimuſque eam infirmam, ad illum confugiamus ſolum; qui ſalvare poteſt; & non nobis ipſis adſcribamus. Theophylact. in c. 6. Jo.

Nec habent, quod manducent. Marci 8. 2. Quæres: an tribus illis diebus turba cibo caruerit? Reſp. attulit cibum; ſed tertia die jam erat conſumptus, ut ait Theophyl. Cibum tunc præbuit, cùm maximè turba egebat. Barrad. hic D. 6. t. 2. l. 10. c. 17.

Eo quòd eſſet Eliſabeth ſterilis. Luc. 1. 7. ubi nulla prorſus ſpes deſiderati relucet, ibi Deus maximè ſuam gloriam oſtendit. Did. Stell. hic. Quantò magis fuerint humana, & mundana cuncta remota, tantò præſtantiùs credenda ſunt divina aſtitiſſe. Sim. de Caſſia de geſt. Salvat. l. 1. cap. 4.

Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, & venit prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Luc. 3. 2. Quando in principibus Mundi dominabatur tyrannis, in Sacerdotibus ſimonia; quando regnum Iſrael diviſum erat in quatuor partes, & orbis totus in præcipitium abiret. Ità Deus piiſſimus in maximis periculis adeſt: quoties tibi in interitum tendenti manum præſtat, pulſat ad oſtium cordis tui &c. Did. Stella hic.

In medicos erogaverant omnem ſubſtantiam ſuam. Luc. 8. 43. *nec ab ullo potuit curari*: deſerta ab omnibus, à Chriſto adjuta eſt. Stengel t. 1. de div. judic. c. 12.

Deficiente vino. Jo. 2. 3. Naturale defecit, ut ſupernaturaliter factum apponeretur. Deficiente vino humanæ lætitiæ, apponendum erat vinum ſpiritualis lætitiæ; & ad defectum ſummus erat adventurus profectus. Cum creatura voluntariè Mundo deficit, profectus divinus advenit. Sim. de Caſſ. l. 5.

Nondum venit hora mea. Jo. 2. 4. S. Chryſoſt. hom. 20. in Jo. *quid mihi & tibi mulier?* Alia præterea cauſa afferri poteſt non minùs neceſſaria, ne qua in miraculo ſuſpicio oriretur: ab indigentibus enim, non à matre, id quærendum erat. Quid efficaciùs oratione MARIÆ? & tamen ipſa deprecante non eſt tempus. Quando ergo erit? cùm ipſa indigentia clamaverit. Præpotens ad impetrandum oratio MARIÆ; at ipſa neceſſitas vim obtinet magnam ad divinam in homines clementiam ſollicitandam. Sylv. hic qu. 19.

Vis ſanus fieri? Jo. 5. 6. Deficiente humano auxilio adeſt divinum. Sylv. hic q. 16.

Hominem non habeo. Ib. Non habens hominem Deum reperit auxiliatorem; ipſa auxilii deſtitutio inſervit ad patrocinium. Alvarez Joſeph Illuſtr. Illuſtr. 111.

Cùm remigaſſent quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare &c. Jo. 6. 19. Prudenter, patienterque ferendæ ſunt tentationes ſpe, quam habemus in Chriſto, etiamſi undique periculorum fluctus inundarent, ſalvari non dubitantes. Opere namque pretium eſt, obſervare, non ſtatim, neque in principio periculorum, ſed quando jam longè à terra remigaverant. Chriſtum Diſcipulis apparuiſſe. Non enim incipientibus adverſis gratia Chriſti confeſtim nos ſalvat; ſed poſteaquam terror increverit, & certum videatur imminere periculum: tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abjicit, & ab omni periculo liberans, ineffabili virtute, in ſummam tranquillitatem periculorum fluctus tranſponit. S. Cyrill. Alex. in Jo. l. 3. c. 23. Sic operari Deus, ſic adeſſe conſuevit, ut, ubi defierit humanum conſilium, illic intercedat citiùs divinum auxilium. S. Fulgentius ſerm. de Exodo.

Audivit Jeſus, quia ejecerunt eum foras. Jo. 9. 35. Omnes deſerunt cœcum hunc, parentes eum relinquunt in manibus Judæorum, dicentes, *ætatem habet, ipſum interrogate.* v. 21. Judæi omnes illum à ſe abjiciunt; ſed Dominus abjectum ab omnibus ſuſcipit. Baeza t. 2. l. 10. c. 3. §. 24.

Invenit Jeſus, quod Mundus perdit; invenit ſalus, quod perditio derelinquit. S. Rupert. l. 9. in Jo. c. 9.

Ex Patribus.

Non efficitur clarum divinæ virtutis opus, ſi humanis adminiculis fulciatur. Orig. in lib. Judic. c. 7. hom. 9.

Meritò Genti ſanctæ, quia humana deſunt, divina ſuccurrunt; & adeſt DEUS ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet. S. Chryſologus ſ. 156.

Ubi humana deficiunt, ibi divina ſeſe prodere mox incipiunt. Victor Antiochen. in c. 6. Marci.

Ubi deeſt auxilium humanum, ibi maximè adeſt divinum. S. Thom. in Job cap. 12. lect. 1.

Quando videris, quæ ſunt mala, & difficilia, imminere; nè animum demittas: hoc enim vel maximè eſt ſperare; quando in media mala, & pericula gravia, fueris conjectus, tunc erigi. Quamvis vel ad ipſam mortem deveneris, & undique maxima immineant pericula; nè deſperaveris: poteſt enim Deus in rebus vel difficillimis, & impeditiſſimis, exitum invenire. Quando res in maximam inciderunt inopiam, tunc tu ſpera maximè: tunc enim Deus ſuam maximè oſtendit potentiam, non à primordio, ſed quando res fuerint planè deſperatæ ab hominibus; hoc eſt enim tempus divini auxilii. S. Chryſoſt. in Pſ. 117.

Cùm ab hominibus nihil acceperimus, tunc à DEO majora recipiemus. Idem. hom. 30. ad pop.

§. IV.

Auxilio divino cooperante, fac quod tuum eſt; præſentibus naturalibus non pete ſupernaturalia.

Ex Veteri.

Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Gen. 3. 7. Poſt hæc *fecit Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos.* V. 21. Quærit Abul: cur Deus nova eis veſtimenta dederit, qui ſibi ipſis jam paraverunt? ſeu cur non antè eos veſtierit, quàm ſe ipſi veſtirent? Reſp. ut daretur locus humanæ prudentiæ, & ingenio. Si Deus ſtatim veniſſet, & providiſſet de veſtibus, ſic homo ſibi ipſi nihil faceret de operimento; per quod appareret, quid poſſit novitatis invenire humanum genus. Ut ergo homo faceret aliquid à ſeipſo, non venit Deus ſtatim. Did. Niſſ. fer. 5. poſt Dom. 3. Quadr.

Incluſit eum Dominus deforis. Gen. 7. 16. S. Chryſoſt. rem paucis dixit: præbuit ſe Janitorem Deus. Quid commovit Deum, Noemo 120. annorum labores injungere, ſibi januam tantum obſerandam reſervare, cùm opus totum tam facilè fuiſſet per angelos conficere, atque unum oſtium claudere? ſed in promptu cauſa eſt. Poterat Noemus ædificare arcam, etſi plurimùm temporis labor hic abſumpſerit, non potuit foris obſerare januam. Solus Deus facit, quod non poſſunt facere homines. Hoc nimirum exigit Deus, ut, quod poſſumus, faciamus. Fac ergo quod potes; ſuo muneri providentiſſimus pater non deerit. Doultr. de amore l. 5. c. 2. ſect. 1.

Paravit illa (Rebecca) *cibos, ſicut velle noverat patrem.* Gen. 27. 13. 14. Si divino oraculo Rebecca fidit Gen. 25. 23. *major ſerviet minori*, cur tam anxiè ſollicita eſt, ut Jacob paternam benedictionem præripiat? Rebecca divinæ promiſſioni innititur, ſed nihil omittit induſtriæ; ea ſollicitudine filium tegit, acſi votum humanis artibus conſequendum, totum à Domino ſic ſperat, acſi ipſa nihil egiſſet. S. Chryſoſt. hom. 53. in Gen. quia Jacob, & Rebecca, fecerunt ea, quæ à ſe fieri oportebat; & ille quidem obedivit conſilio matris; hæc autem omnia, quæ ad ſe attinebant, implevit: tunc ultrà bonus Dominus perfici fecit magna facilitate, quod omnium erat difficillimum; nè fieret actus iſtius impoſturæ manifeſtus Iſaac. Naxera in Joſ. §. 6.

Diviſit (Jacob) *populum - in duas turmas &c.* Gen. 32. 7. Jacob irato occurrens fratri diviſit populum, qui ſecum erat. Prudenti hoc ſtudio adhibito, ad alia, orationis putà, arma ſe contulit v. 9. Oleaſt. hic, poſtquam, quod ſuum erat, fecerat, ad divinum recurrit auxilium. Did. Niſſ. l. 8. c. 2. in Phœnice Græciæ.

Sumite de optimis fructibus terræ in vaſis veſtris, & deferte viro munera, - pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum. Geneſ. 43. 11. 12. Poſtquam hæc omnia diligenter bonus ſenecio Jacob ordinavit, tum ait.

Deus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem v. 14. Oleaſt. faciendum quod in nobis eſt, poſtea ad preces recurrendum. Did. Niſſ. D. 18. Pent. §. 1.

Qui oſtendit ei lignum. Ex. 15. 25. Janſ. quorſum ei Dominus aliquod certum lignum oſtendiſſet, niſi illud naturalem ex ſua natura virtutem inſitam habuiſſet? nam alioquin virga ejus, quæ reliqua operabatur miracula, ad miraculi operationem ſuffeciſſet. Ubi ergo naturale aderat miraculum, miraculoſa virga non adhibenda. Sylv. in acta c. 9. q. 38.

Hoc cibo aliti ſunt, uſquequò tangerent fines terræ Chanaan. Ex. 36. 34. Oleaſt. Oſtendit locus iſte, non eſſe quærendam à Domino proviſionem, cùm nobis poſſumus providere. Did. Niſſ. D. 18. Pent. §. 1.

Ad Moyſem Dominus Num. 31. 2. *ulciſcere priùs filios Iſrael de Madianitis.* Ad Saulem. 1. Reg. 15. 3. *vade, & percute Amalec.* Deus utrumque hoſtem, ſi vellet, flatu unico proſterneret; jubet tamen parari Duces, cogi milites; ut, quod ille facit, homines cum Deo opus conficiant. Velloſo in Judith 7. paræn. 10.

Circuite civitatem armati. Joſ. 6. 7. Deus inſignem victoriam, Joſue offert; ille lætus hoc nuntio populum monet: *Ite, & circuite civitatem armati.* Supervacua videtur hæc cura, & exigua fides. Si Deus totam victoriam, clamoribus obtinendam, promittit; cur Joſue milites armatos præire jubet? Toſtatus: Joſue omnibus modis humana providentia uſus eſt in actionibus bellicis. Licuit ergo facere Joſue, quid humanæ fuit prudentiæ, & in reliquis de divina ſperare bonitate. Naxera in Joſ. 6. §. 6.

Nè timeas eos, in manus tuas tradidi eos. Joſ. 10. 8. Rupertus l. 1. hic; cum quo Dominus erat, & cui dixerat, nullus vobis poterit reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ, exploratores mittit ad conſiderandam terram. Joſ. 21. urbemque Jericho. Non ergo quiſquam ullo in negotio tantùm de cœleſtibus præſumat præſidii, ut non etiam ipſe ſibi adſit vigilando pro facultate ingenii, laborando proportione virili: nam ſicut minimæ fidei eſt de divinis dubitare promiſſis, ſic nimiæ temeritatis, vel præſumptionis eſt, cœleſtem per miracula præſtolari opem, otioſè ſedendo, manibus compoſitis. Naxera in Joſ. 2. §. 1.

Multam ſapientiam Salomon à Deo accepit. 3. Reg. 3. 12. *dedi tibi cor ſapiens*: nec tamen conſultores ab aula ablegat; imò ſenatum inſtruit viris ſapientiſſimis. 3. Reg. 4. 5. & c. 12. 6. iniit conſilium cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone. Naxera in Judith 7. paræn. 10.

Deus Eliam refecturus juxta torrentem juſſit manere, ut alimoniæ cura inter Deum, & hominem divideretur. 3. Reg. 17. 3. Baeza l. 3. c. 2.

Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis &c. 4. Reg. 2. 19. &c. *Sanavi aquas has &c.* v. 21. Cur Propheta ſolùm ſanat aquas, non ſterilitatem terræ? quia illud divinæ ſolùm poteſtatis; at terram facere fertilem, ſedulò excolendo, induſtriæ eſt humanæ. Sylv. addit. in Jo: 2. q. 4.

Domine, invadit me. Tob. 6. 3. clamat ad angelum grandi piſce viſo. Quid tunc Raphael? accurritne piſcem occiſurus? non, ſed dixit ei: *apprehende brachiam ejus, & trahe eum ad te.* v. 4. Unum petit toto itinere Tobias ab Angelo, nempe ut ipſe ſolus in Reges civitatem proficiſcatur, quod Tobias etiam faceret, niſi manere cogeretur à ſocio adjuratus, cujus vim adjuramenti tunc Raphael perrexit. Non aliud efficit angelus, quàm quòd ei conſtat à Tobia peragi non poſſe: quidquid enim eſt ſub noſtra poteſtate, nec Angelis, nec ſoli virtuti divinæ eſt demandandum. Baeza l. 3. c. 2. §. 18.

Præoccupaverunt omnes vertices montium. Judith 4. 3. Iſraelitæ ad Holofernis potentiam repellendam magnis præſidiis ſe muniverunt. Sed perinde acſi hæc omnia munimenta inania cenſerent, ad orationem confugerunt: *& clamavit omnis populus ad Dominum.* v. 8. Lyran. fecit primò, quod potuit, nè tentaret Deum: ſed reſiduum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat. Certus omninò, omnia vana eſſe præſidia, niſi divinitus firmarentur. Judith ipſa non modò in periculo precibus incumbebat cap. 9. 2. ſed & cùm pugna pene confecta, & victoria parta, videbatur, (jam enim ſtabat ad lectum Holofernis altum dormientis, jam ejus gladium manu altera evaginarat, jam nihil aliud ſupereſſe videbatur, quàm victoria) & nihilominus de ſucceſſu adhuc timida orat. Judith cap. 13. 9. *confirma me Domine Deus in hac hora.* Mendoza in l. 1. Reg. c. 7. Annot. 28. ſect. 2.

Aſſumentes arma ſua. Judith 7. 5. Sanum profectò conſilium, ita fidere Deo, ut manum cum illo admoveas. Id boni præſtant milites. Pſ. 149. 6. *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*, precibus addunt gladios. Nec *viva*, quam Petrus vocat 1. 1. 3. nec *bona*, quam Paulus dicit. 2. Theſſ. 2. 15. ſpes in Deo eſt, quæ ignava, & ſine operibus.

Ex Novo.

Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. Cur ſub ipſum Hieroſolymorum ingreſſum ſtella Magos deſtituit? quia habebant homines, à quibus erudiri poterant, itaque ubi lux ſuppetebat humana, deſiit Deus communicare divinam. Sanct. Chryſol. Domum Petri venit Chriſtus, ut domus Petri veniret ad Chriſtum. Didac. Niſſ. fer. 5. poſt Dom. 3. Quadrag. §. 1.

Non tentabis Dominum Deum tuum. Matth. 4. 7. Deum tentare, eſt ſine neceſſitate de ejus providentia, vel poteſtate, experimentum accipere; omittendo videlicet, quod in ſe eſt, & ſecundùm humanum modum ſibi incumbit, atque divinæ potentiæ ſe indiſcretè committendo. Dion. Carth. hic.

Et ſaturati ſunt. Matth. 14. 20. Cur nulla vini mentio? Reſp. quia vicini erant fontes, ad quos pro potu accedere poterant. Sic Angelus Eliæ tulit panem, & vas aquæ, non vini, in deſerto. 3. Reg. 19. 6. Corn. à Lap. hic.

Videntes eum ſuper mare ambulantem. Matth. 14. 26. Abul. Chriſtus ſemel tantum ſuper aquas ambulaſſe legitur. Non facit Deus miracula abſque neceſſitate. Did. Niſſ. D. 18. Pent. §. 1.

Adducunt ei ſurdum. Marci 7. 32. Adduci ſibi illum vult Chriſtus, quia vult cooperationem noſtram. Sylv. hic q. 4.

Ecce jam triduo ſuſtinent me. Marci 8. 2. Theophyl. & nunc, niſi periculum ex ciborum penuria fuiſſet, neutiquam feciſſet miraculum. Did. Niſſ. D. 18. Pent. §. 1.

Aquam vinum factam. Jo: 2. 9. Cur non creavit vinum ex nihilo? Ut doceret, non recurrendum ad altioris potentiæ remedia, quando faciliora ſunt in promptu. Sylv. hic q. 27.

Tollite lapidem. Jo: 11. 39. Quid dicemus? numquid lapidem Dominus à monumento præcepto removere non poterat? qui inferni clauſtra propria virtute reſeravit? ſed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit; quod autem divinæ virtutis erat, ſua potentia demonſtravit. Lapidem enim à monumento removere, humanæ virtutis eſt; animam verò ab Inferno revocare, ſolius divinæ potentiæ eſt. S. Aug. ſ. 104. de temp.

Factum eſt, - ut infirmata moreretur. Act. 9. 37. Quare non ad ægram Tabitam, ſed ad mortuam, petitur Petrus? quia in morbo per media ſperabatur ſalus; at mortua nullum aderat remedium; tunc ad opem Dei per preces Petri recurrunt. Sylv. hic q. 32.

Petrus autem perſeverabat pulſans. Act. 12. 16. Petrus mirabiliter liberatus eſt per angelum, quod per hominem fieri non poterat; poſtea verò, quæ erant humanæ induſtriæ pro ſua ſalute, & ab homine fieri poterant, ipſe præſtitit. Sylv. hic q. 14.

Ex Patribus, & aliis.

In omni conflictatione, & ærumna, tam ſollicitè ſunt conquirenda remedia, acſi non eſſet Deus; at verò Deus etiam tam enixè rogandus, acſi nullum eſſet remedium. Did. Niſſ. Phœnix. l. 7. c. 2.

Factu, quod tuum eſt: nam Deus, quod ſuum eſt, ſatis, abſque tua ſollicitudine, & anxietate, curabit. S. Bern. de conſid. ad Eugen. l. 4.

Quamdiu adeſt humanum auxilium, homo non debet confugere ad divinum, quia hoc eſſet tentare Deum; ſed debet illo auxilio uti, quantùm poteſt. S. Thom. in c. 11. Corinth. lect. 6.

Arbores ſylveſtres nullum habent cultorem, uni divinæ providentiæ innituntur, & creſcunt; & tamèn proceriores fiunt illis, quæ quotidie ab hortulanis irrigantur, fodiuntur, & ſtercorantur. Ut diſcamus, à Deo omnia, ſi committimus, feliciùs *ſaturabuntur ligna campi, & Cedri Libani, quas plantavit.* Pſ. 103. 16. S. Hieron *ligna Dei.* Scio litteræ ſenſum; dico tamen & ideo ſaturari, quia ligna Dei, uni Dei providentiæ commiſſa, ab humana ope deſtituta. Oct. de Tuffo in Eccleſiaſticum c. 2.

§. V.

Sine divino auxilio humana vana: in his præſidentem divinum deſerit.

Ex Veteri.

Caſtrametatus eſt Iſrael juxta lapidem Adjutorii. 1. Reg. 4. 1. inito autem certamine terga vertit Iſrael. Sic pereunt, qui quærunt auxilium creaturarum. Abbas Alois: niſi dixerit homo in corde: ego ſolus, & Deus, ſumus in Mundo, requiem non habebit. Baeza l. 3. c. 2.

Obdormivit in umbra juniperi. 3. Reg. 19. 5. ex laſſitudine itineris, & mœrore animi. Porrò umbra juniperi exilis eſt, cùm pro frondibus ſpinas habeat. Juniperi gravis umbra, quæ potiùs capitis dolorem in Elia auxit, quàm minuit. Unde umbra hæc typus eſt humanorum præſidiorum; quæ, cùm vana ſint, & noxia, ad ea tamen confugiunt homines, dum potiùs ad Dei, Chriſtique umbram, & protectionem, fugere deberent cum ſponſa Cant. 2. 3. *ſub umbra illius.* Et cùm Jerem. Thr. 4. 20. *in umbra tua vivemus.* Corn. à Lap. hic.

Igitur audientes tres amici Job omne malum &c. Job 2. 11. Veteranus miles ſolus in ſterquilinio mille confecit certamina; tunc diabolus ſolùm pertimeſcens, convocat amicos auxiliatores: ſciens, nihil magis nocere hominibus, quàm auxilium creaturarum. Baeza l. 3. c. 2.

Salvum me fac - nè quando rapiat ut leo animam meam. Pſ. 7. 2. 3. Abſalonem vocat leonem, ſe verò imparem fatetur ad reſiſtendum. S. Chryſoſt. hic: Collegit exercitum, & multos ſecum habebat. quomodo ergo non eſt, qui redimat? neque qui ſalvum faciat? Reſp. quoniam nè univerſum quidem orbem terrarum auxilii loco habent, niſi opem divinam fuerit aſſecutus. Nec ſe eſſe ducit in ſolitudine, licèt ſolus ſit, ſi ſit illius auxilii particeps. Ita ille. Hinc fugiens Abſalonem incedebat contra viam. Olivæ 2. Reg. 15. 23. typum divinæ miſericordiæ. Mendoza in l. 1. Reg. 7.

Non ſalvatur rex &c. Pſal. 32. 16. Saulem non potuerunt à nece defendere ingentes copiæ militares. Goliath gigantem robuſtiſſimum David puer occidit. Joram filium Achab veloci curru fugientem ſagitta velociter interemit. Bellarm. hic.

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis. Pſ. 107. 13. Omne namque auxilium hominum, te non adjuvante, vanum, & inutile eſt. B. Theodoretus hic.

Similitudo vultus eorum. Ezech. 1. 10. Quid myſterioſus ille currus Ezechielis ſignificabat, tractus à bobus, leonibus, aquilis, & hominibus? Juxta litteralem ſenſum, Hier. Bradus, Gaſpar Sanchez, Lud. Alvarez, cenſent moti circumſtantiam temporis, quo talis viſio facta eſt: utpotè poſt devaſtatam Jeroſolymam à Babyloniis, Deum ob victoriam reportatam ab inani ſpe ſui rebellis populi, qui ſine Deo felicitatem ſperabat, triumphum inſtituiſſe ſolemnem, in quo illa animalia eſſent ſymbola devictarum præſumptionum, quibus ſe fundabat populus in perſpicacitate ſuorum conſiliorum, ſignificatorum per aquilam; fertilitate agrorum, expreſſa per bovem; vigore adoleſcentum, denotato per vultum hominis; experientia, & generoſitate bellicorum Ducum, declarata per leonem. Quando ego vobis non faveo, fruſtra adhibetis conſilia, fruſtra extruitis munitiones, lectiſſimum ſcribentis militem, Duces colligitis experitiſſimos. *Sine me nihil poteſtis facere*. Jo: 15. 5. Aloyſ. Juglar. conc. 33.

Ex Novo, & Patribus.

Jeſus ductus eſt in deſertum. Matth. 4. 1. Solitudine ſe armat Chriſtus contra hoſtem; creaturarum auxilia refugit, ut vincat. Baeza l. 3. c. 2.

Angelis ſuis mandavit de te. Mat. 46. Cur Angelorum auxilium promittis? an non magis Pater adſtaret Filio? an non Filius ſibi ſufficeret? Cur, relicto Deo auxiliatore, angelicas manus adjutrices proponis? ſanè hoc ſolùm putabat perſuaſum præcipitium, ſi illius oculi ad creaturam, relicto Deo, reſpicerent. Baeza l. 3. c. 2. §. 17.

Quis poteſt ſervare eum, qui à Deo oppugnatur? aut quis perdere eum, cui ipſe fert auxilium? S. Chryſoſt. l. de virgin. Apud Juglar. conc. 33.

Si ubi Chriſtus adeſt nobis, eſt aranea murus; at cui Chriſtus abeſt, & murus aranea fiet. S. Paulinus.

Vana ſunt noſtra ſtudia, niſi Dei muneribus adjuvemur. Homo diligentia ſua terram proſcindit, & ſemen ſpargit; Deus autem opportunis imbribus, quæ ſata ſunt, irrigat; facitque, ut mollibus terræ cavernis radices diffundantur; ſolem impertitur, qui terram calefaciat, & calore ſuo plantas ſurſum eliciat &c. Ex his ſi unum aliquod deſit, inanis deprehenditur labor. S. Nilus Levir. 11.

Varia de auxilio Dei.

Dormire ipſum dicimus, cum quieſcit à nobis, & quaſi nos negligit, de cauſis, quas ipſe novit. S. Greg. Naz. or. de S. Spiritu. *Exurge, quare obdormis Domine?* Pſ. 43. 23.

Contingit quandoque, quòd Deus hominem non exaudit ad votum, ſed ad profectum, ſicut medicus infirmum. S. Tom. in Job 9. lect. 3.

Eſt juſtum conſilium, ut, qui ſe à potentiori adjuvari vult, adjuvet & infirmiorem, in quo eſt ipſe potentior. S. Aug. l. 1. de ſerm. Dom. in monte.

Nihil fortiùs eſt eo, qui divina munitur opulationes; ſicut etiam nihil infirmiùs eo, qui illa privatus eſt, S. Chryſoſtom. hom. 60. in Gen.

B.

T I T U L U S I.

BACCHANALIA.

A*Pparuit ei Dominus*. Geneſ. 18. 1. *in ipſo fervore diei*. & mira ei promittuntur. S. Ambr. l. 1. c. 5. Ante oſtium ſedebat Abrahamus, ſed meridie; quando alii requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat adventum: meritò illi Deus apparuit. Sylv. in Jo: 4. q. 8.

Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de manè, uſque ad tempus conſtitutum. 2. Reg. 24. 15. Sept. *dedit Dominus mortem in Iſrael à manè uſque ad horam prandii*. Ut etiam advertit S. Cyrillus Alex. Hugo, Lyr. &c. qui omnes docent, quod David per totum illud tempus erat Deum exorans in cilicio, & cinere. Sed, cùm tempus peſtilentiæ aſſignatum eſſet trium dierum v. 13. cur uſque ad prandium ſolùm duravit? & nunc ceſſarit? Manè orabant etiam alii, meridiano autem tempore omnes cibo, & potui, indulgebant: Rex ſolus jejunus, temperans, & orans. Sylv. in Joan. 4. q. 8.

Filiis Berzellai Galaadita reddes gratiam; eruntque comedentes in menſa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugeram à faciem Abſolom. 3. Reg. 2. 7. Lib. 4. inſinuat. cap. 6. S. Gertrudi Ordinis S. Benedicti, nocte Dominicam hanc ſequente apparuit D. Jeſus ſedens in throno gloriæ; ſedebatque Sanct. Joannes Evang. ad pedes ejus ſcribens. Quærenti illi, quid ſcriberet? reſpondit Dominus: ego ſingula obſequia congregationis hujus heri impenſa, & per duos ſequentes dies impendenda, curo annotari; ut cùm ego, cui Pater omne judicium dedit, unicuique poſt mortem fideliter reddidero mercedem bonam, pro operibus bonis; & ſuperaddidero menſuram conſertam ex fructu mortis, & paſſionis meæ; ducam eos cum hac charta ad Patrem, ut ex paterna benignitate ſuperaddat eis menſuram coagitatam, & ſupereffluentem, pro beneficiis mihi exhibitis in hac perſecutione, qua à Mundanis infeſtor. Si enim Rex David, qui omni tempore non prætermiſit benefacientibus ſibi correſpondere, die mortis appropinquante, cùm regnum deponeret in manu Salomonis, dixit ei: *filiis Berzellai, &c.* quantò magis ego omnium fideliſſimus non oblivìſcar compenſare his, qui mihi fideles fuerint in adverſitate hac: quia, ſicut à quovis magis acceptatur beneficium exhibitum in adverſis, quàm proſperis; ſic magis accepto fidelitatem, quæ mihi modò exhibetur, dum Mundus plus peccando me infeſtat.

Sanctus! ſanctus! ſanctus! Dominus Deus exercituum plena eſt omnis terra gloria ejus canunt Seraphim. Iſ. 6. 3. id eſt, divinis ejus donis, & beneficiis, quibus ſe à falſis diis differre ſæpius teſtatur. Diez fer. 4. D. 1. Quadr.

Invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. Luc. 2. 16. Cur non invenerunt Dominum ſervi vigiles? & illi ſervi, qui dum alii ſomno ſepulti ſunt, illi paſcendis gregibus dant operam. S. Chryſoſt. hom. de Samarit. hora ſexta, quo tempore quieti à labore vacabant omnes, tunc illa hydriam arripiens aquam advehebat. Noverat ergo Dominus, quam horam cæteri captandæ quieti dabant, illa ſolere iſtam advehendæ aquæ vacare: propterea hora ſexta Dominus abiit. Ità ille. Præſtantior Magdalena Samaritana, & ipſa Chriſtum ſibi præripuit. Dum Phariſæus menſæ accumbit, omni alia debiti obſequii cura feriatus, ipſa, cibi, potuſque immemor tota in Chriſti ſervitium effunditur. Luc. 7. 57

Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum. Jo: 7. 2. *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum*. v. 8. S. Aug. q. 78. novi teſtam: Aſcendit, non quaſi ad diem feſtum, ſed quaſi ad litem: illi enim omnes læti aſcenderunt, quaſi ad perfruendas delicias diei feſti: Certùm eſt enim, quòd non aſcendit ad diem feſtum: is enim illi fuit dies feſtus, quo paſſione ſua redemit Mundum: hic dies feſtus ejus, in quo vicit mortem. Sylv. hìc in Matth. cap. 14.

In illa hora factus eſt terræ motus magnus. Apoc. 11. 13. In qua ſcilicet cives Jeruſalem læti, munera mittentes, Elias & Enoch reviviſcerent, facto magno terræ motu decima pars urbis cecidit. Gaudium impiorum breve, ex quo ad ſummas miſerias tranſeunt. Luc. de Velloſo in Apoc.

Cæteri occiſi ſunt in gladio. Apoc. 19. 21. Probabile eſt, diem reſurrectionis generalis fore eumdem, quo reſurrexit Chriſtus, putà diem Paſchæ. Suppoſitis his duobus principiis; ſcilicet *Primò*, à nece Anti-Chriſti uſque ad die judicii, & reſurrectionis, præciſè fore 45. dies. *Secundò*, reſurrectionem fore ipſo die Paſchatis; ſequitur, Anti-Chriſtum occidendum finitis Bacchanalibus. Notent hoc, & metuant Bacchantes. Cornel. à Lap. hìc.

O quanta compoſſione dignus eſt nunc ferè totus Mundus! conſiderata in quolibet ſtatu paupertate divinæ cognitionis, & timoris. Quis non debet per compaſſionem cum Apoſtolo infirmari. 2. Cor. 11. 29. S. Bernard. Sen. tom. 2. ſ. 4. in Dom. Quinq.

T I T U L U S II.

B A P T I S M U S.

§. I.

Figuræ.

Ex Veteri, & Novo.

S*Piritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Gen. 1. 2. quod prævideret, Mundum abluendum ab aquis in Baptiſmo. Ita ſentit Tertullian.

Creavit Deus cete grandia. Gen. 1. 21. Quinto die creati ſunt piſces; per quos deſignantur ii, qui Baptiſmatis ſacramenta ſuſcipiunt. S. Petr. Dam. l. 2. ep. 5.

Iſte

Iſte conſolabitur nos. Gen. 5. 29. Quæ eſt requies, vel conſolatio, qua conſolatur nos iſte verus Noe, ſcilicet Filius Dei, niſi peccatorum remiſſio, quam in Baptiſmo ſuo nobis tribuit; illud enim diluvium Baptiſmatis figura fuit. Rupertus in Gen. per diluvium deſignatus Baptiſmus. Per columbam, quæ detulit ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo, ſignatur Spiritus Sanctus: quo confirmantur Credentes ab Epiſcopis per unctionem ſacri chriſmatis poſt gratiam Baptiſmi. Per arcam, quæ de lignis imputribilibus eſt fabricata, deſignatur Eccleſia. Haymo hom. in D. 2. Epiph.

Noe ſalvavit familiam ſuam per navem in aquis diluvii. Gen. 7. 1. Et Chriſtus familiam ſuam per crucem in aquis Baptiſmi. Hugo Card. hic.

Emiſit columbam, quæ non eſt reverſa. Gen. 8. 12. S. Cyprianus l. ad Novatian. hæret. Columbam à Noe ter emiſſam, ait, ſignificare Baptiſmatis Sacramentum, in quo nominatur SS. Trinitas. Arca, teſte S. Petro 1. a. c. 3. 20. figura Baptiſmi. Columba accedens ad arcam cum ramo, Spiritus Sanctus aſſiſtens in Baptiſmo, conferens gratiam reconciliationis, pacis, & miſericordiæ. Ita S. Ambr. l. 2. in Luc. c. ult. Lud. de Ponte in Cant. Exh. 10. §. 1.

Figura Baptiſmi aqua ancillæ Agar ab Angelo oſtenſa. Gen. 21. 19. Puteus Gen. 24. 13. Aqua igni affuſa Eliſæi 3. Reg. 18. 38. Jordanis 4. Reg. 5. 10. S. Greg. Nyſſ. or. in diem Luminum.

Non ſine cauſa tres magni Patriarchæ Iſaac, Jacob, & Moyſes, uxores juxta puteos invenerunt, quia Chriſtus ad aquam Baptiſmi inventurus erat Eccleſiam. Lud. de Ponte in Cant.

Ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris. Ex. 14. 22. Quid mare rubrum, niſi Baptiſmum Chriſti ſanguine conſecratum? hoſtes ſequentes cum rege, qui à tergo moriuntur, peccata ſunt præterita, quæ delentur, & diabolus. S. Iſidor. Comment. in Ex. Iterum Phaſe agitur, iterum tranſitus celebratur. Potes iterum excelſi brachii antiqua exercere miracula rubri maris. B. Cæſar. Arel. Ep. hom. 3. de Paſcha. Exodus beatè, ac perfectè conſummatur in nobis, quando verus Moyſes de Jordanis aqua ſumptus Dominus noſter JESUS CHRISTUS virga crucis ſuæ nos per aquam Baptiſmi de captivitate Pharaonis diaboli educit. S. Gaudentius tr. 1. in Ex.

Omniſque populus per arentem alveum tranſibat. Joſ. 3. 17. Tranſitum Jordanis Baptiſmum præfiguraſſe docet S. Auguſt. ſ. 106. de temp.

Sicut enim Joſue Hebræos per Jordanem traduxit in terram promiſſionis: ſic Jeſus ſuos Fideles per Baptiſmum traducit in cœlum. Corn. à Lap. hìc.

Introduxit me Rex in cellaria ſua. Cant. 1. 3. Quid Baptiſmus, & reliqua Sacramenta, niſi quædam Chriſti cellaria; in quibus animam ſanat, reficit, lætificat; ingenteſque delicias, divitias, & ſigna amoris præbet? Lud. de Ponte hic. Exhort. 15.

Veni de libano. Cant. 4. 8. Libanus candor interpretatur: niſi enim quis candorem in ſacro baptiſmate, quo peccatoribus remiſſio datur, perceperit; ad Chriſtum venire non poteſt. S. Juſtus Orgelit. Ep. hic.

Et ecce aperti ſunt ei cæli. Matth. 3. 16. Cur in Chriſti Baptiſmo cœli aperti videntur? S. Aug. ſect. 29. de tempore.

Quod hoc ſpiritualiter pertinet ad Baptiſmum Chriſti: quia per id oſtenditur, quòd quando homo egreditur de Baptiſmo, tunc janua regni cœleſtis ei aperitur. Sylv. hìc qu. 16.

Aſcendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Id eſt, Baptiſmum. Hæc navis baptiſmalis innocentiæ facit naufragia; & rumpitur impingendo in rupem peccatorum mortalium, ſcilicet vento diabolicarum tentationum, ſeu periculis occaſionum Mundanarum; in tantum, quòd tot ſint pericula in mari hujus Mundi, quòd è decem millibus animarum non transfretet una cum iſta navi innocentiæ Baptiſmalis, quin peccet mortaliter. Ideo, ad inſtar navigantium, ſi volunt ſe tenere ad tabulam Pœnitentiæ fortiter, adhuc poſſunt evadere. S. Vinc. Ferr. ſerm. in die Cin.

Vade ad natatoria Siloe. Joan. 9. 11. Ex ſententia S. Auguſtini, & aliorum. Siloe fons Baptiſmi, ac pœnitentiæ lavacrum, ſignavit. Hinc Nazianzeno Baptiſmus: & Pœnitentia, illuminatio dicitur. Eſcob. t. 1. mir. Chr. ſect. 2. obſerv. 2.

Conſepulti ſumus in illo per Baptiſmum in mortem. Rom. 6. 4. Ritus Baptiſmi ſcilicet trina merſio, repræſentat tres dies ſepulturæ Chriſti, & tropologicè mortem, ac ſepulturam peccati. Corn. à Lap. hìc.

§. II.

Baptiſmi ritus, & ceremoniæ.

AB albis Baptizatorum veſtibus; ſeptimanam in albis veteres appellarunt eam, quæ Paſchalem proximè ſequitur. Tertull. l. de cor. mil. Ex Interprete.

Idem teſtatur: lac & mel, baptizatis guſtandum porrectum eſſe. Hier. contra Luciferianos ait: in Occidentis Eccleſiis vinum, & lac, recens baptizatis datum.

Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Olim adulti, qui Baptiſmum expetebant, cùm Quadrageſimæ initio nomina ſua Eccleſiæ dediſſent, & totis illis 40. diebus atris veſtibus, promiſſo capillo, in ſqualore jacuiſſent; paulò ante Paſcha lavabantur. Quod S. Auguſt. ep. 118. ad Januar. Baptiſmum ante Baptiſmum vocat; tandemque loti, candidiſque induti veſtibus ad Baptiſmum accedebant. Haſce candidas veſtes geſtabant per totam octavam Paſchæ; eaſque Dominica ſequenti deponebant; unde dicta *Dominica in albis*. Ac tum veſtium loco accipiebant agnum ex cera candida, & virginea benedictum; quem ad collum appenderent: ut ex ejus intuitu monerentur, agninam Chriſti innocentiam, quam in Baptiſmo acceperant, ſtudiosè ſervare. Cujus ceremoniæ certum indicium eſt, quod etiamnum Romanus Pontifex Agnos cereos à ſe benedictos familiaribus, & Prælatis, diſtribuat ipſa Dominica in Albis, Acolytho alta voce accinente: *Domine, Domine, iſti ſunt agni novelli, qui annuntiaverunt Alleluja: modò venerunt ad fontes, & repleti ſunt claritate Alleluja*. Ita Joſephus Vice-comes l. 5. de ritibus Baptiſmi. Durand. l. 6. ration. div. offic. c. 79. Corn. à Lap. in Eccl. cap. 9.

Clem. Alex. l. 1. pædag. inſtruens Ægypti Eccleſias, ſuadet, ut fideles candidis veſtibus utantur: cujus quidem inſtitutione Chriſtianos in Ægypto candidis uſos fuiſſe veſtibus exiſtimamus, ait Baronius A. C. 256. Hinc cùm S. Antoninus, Martyrii cupidus, ad tribunal prodiret, alba induit veſtimenta; ut ex eis cognoſceretur Chriſtianus, teſte Athan. in ejus vita. Corn. ib.

Oleum ideo ad Baptiſmum adhibetur; quia unctionem noſtram deſignat; Chriſtoſque nos efficit; ac Dei miſericordiam per S. Spiritum nobis pollicetur. S. Jo: Damaſc. l. 4. c. 10.

Baptizatorum olim erant peculiares, & dicebantur, Reſurrectionis veſtes, Amphilochius in vita S. Baſilii: accedens Sacerdos baptizavit eum, & oratione fuſa ſuper eum, induit veſtibus Reſurrectionis Chriſti.

Notat S. Aug. recens baptizatos ſuo tempore ſtudiosè caviſſe; nè terram pedibus toto per baptiſmum octiduo contingerent: quo indicarent; ſe deinceps ſurſum affectus, & corda, tollere debere; etenim baptizati Reges fiunt; ſed regnum eorum non eſt de hoc Mundo. S. Cyr. Jeroſ. Catech. 1. docet, baptizandos ſuo tempore ſtetiſſe in porticu domus Monaſterii, atque inde versùs occidentem protenſa manu Sathanæ quaſi coram renuntiaſſe: quia inquit ſolis occaſus apparentium tenebrarum locus eſt; diabolus autem, cùm ſit tenebræ, robur in illis ſuum habet. Doultreman de amore Dei l. 3. c. 5. ſect. 2.

Cùm Sathanæ renuntiaveris, & omne cum illo pactum reſcideris, veteres, inquam, pactiones cum Inferno; aperitur tibi paradiſus Dei, quem ipſe ad Orientem plantavit. Et hujus rei ſymbolum eſt, cùm ab occaſu converteris ad occaſum, quæ lucis eſt regio. S. Cyrill. Jer. Catech. myſtag. 1.

In pectore, in quo eſt locus cordis, baptizandus ungitur oleo; ut, per S. Spiritus bonum, abjiciat errorem, & ignorantiam: inter ſcapulas; ut, per S. Spiritus gratiam, excutiat negligentiam, & torporem: in vertice baptizatus chriſmate à Sacerdote inungitur; ut ſit paratus omni poſcenti de fide reddere rationem. Dur. ration. offic. div. c. 8.

§. III.

Baptiſmus conſecrat, & ſanctificat DEO.

H*Ic ſcribet manu ſua Domino*. Iſ. 44. 5. Id eſt, *Domini ego ſum*. Ità Sept. Arabicus vertit: *hic ſcribet ſe è proprietate Domini*. Sicut enim ſagæ, aliique, cùm ſe dæmoni devovent, dant ei ſyngrapham, qua ſe ejus ſervos profitentur; ità & Fideles ſe olim ſcribebant eſſe Chriſtianos, ſervos Jeſu Chriſti, uti ſcribit S. Paulus *ſervus Jeſu Chriſti*. Hinc baptizati dicuntur nomen dare Chriſto, nomenque ſuum vel ipſi, vel paſtor eorum, catalogo fidelium inſcribit; quaſi qui tranſeant in militiam Chriſti. Corn. à Lap. hic.

Per Chriſtum ſolita eſt mea vetus maledictio: jam ego non timeo: terra es & in terram reverteris: in Baptiſmate enim depoſui terram, & cœlum indui; & nunc audio; cœlum es, & in cœlum aſcendes. S. Chryſoſt. in Pſ. 96.

In Baptiſmo charta conſcientia eſt, calamus lingua Sacerdotis, manus gratia eſt S. Spiritus. Sive ergo per me, ſive per illum, qui officio fungitur Sacerdotis, ipſa manus ſcribit; nos miniſtri ſumus, non authores. S. Chryſoſt. hom. de regreſſu ſuo de Aſia Conſtantinopolim.

Vocati ſumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cùm in Sacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad militiam cum deliciis venit; nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis &c. Tertullianus ad Martyres.

Per Baptiſmatis Sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & diaboli iterum te ſubjicere ſervituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti. S. Leo ſ. 1. in Nat. Dom.

Corpus homini in Baptiſmate ut templum Spiritui Sancto oleo, & chriſmate dedicatur. S. Anſel. in Elucidario.